

uationem commendauerit, quas tueri sine acerrima contentione animorū non possumus. Quare exuscitent nos, & ipsa artium dignitas, & publica utilitas, & meminerimus his uirtutis studijs etiam fortitudinem adiungendā esse, quæ non sinat animos languescere pigricia, quæ per omnes difficultates, ut ita dicā, ui sibi uia faciat. Ac generosæ & heroicæ naturæ, quæ ad illas summas artes de rebus cœlestibus diuino aliquo adflatu, & ἠθροισιασµῶ incitantur, facile has artes arripiunt, perinde ut hi, qui natura ad carmē idonei sunt, cito percipiunt syllabarum & pedum mensuras. Multum tamē ut in cæteris artibus etiam mediocria ingenia studio & diligentia assequantur. Ac si qui non totos se huic studio dedent, tamen his ad iudicia formanda, & ad intelligendos multos locos, qui in Aristotele & alijs laudatis autoribus obuñ sunt, opus est cognitione elementorum geometriæ. Aristoteles pulcherrimè pingit iusticiam in quinto Ethicorum his geometricis figuris, & species eius eruditissime discernit collatas ad Arithmeticam & Geometricam proportionem. Et traduntur eo in loco præcepta necessaria ijs, qui erudite de legum causis iudicare cupiunt. His plurimum affert lucis collatio sumpta ab Arithmeticis & geometricis. Sed quia interpretes, quorum quidam libri extant, non intellexerunt hanc collationem, non solum obscurarunt, sed plane corruerunt totam Aristotelis sententiam, non secus ac si aliquam excellentem Apellis picturam sordibus & cœno conspersissent atque obruissent. Porro non solum turpe est interpreti, sed etiam molestum alijs lectoribus in tali loco tanquam in luto hære & fraudari sententia autoris. Aristoteles enim prudentissime duas iusticiæ species constituit, quarum altera personarum gradus in legendis magistratibus, in imperijs, in ciuitate, & in familijs ordinat. Altera gubernat non solum contractus, sed omnes compensationes rerum, ut mercedes, damna, iniurias, pœnas. Iam cum explicatur quare in compensationibus requiratur Arithmetica portio. In altera uero iustitia legente magistratus ualeat geometrica, causæ iustitiæ ualde fiunt illustres. Ac sumpsit hanc ipsam collationem Aristoteles à Platone, qui cum summa uenustate & grauitate disputat, æqualitatem in ciuitatibus efficiendam esse, quia æqualitas gignat mutuum amorem, ut dici solet ἰσορῖσῳ φίλων. Sed æqualitatem arithmeticam ait in imperijs, in legendis magistratibus turbulentam esse, geometricam uero salutarem esse ciuitatibus. Nam Geometrica æqualitas est, cum gradus constituuntur & delectus adhibetur, ut pro proportione tribuantur summa imperia optimis & prudentissimis ciuibus, & singuli intelligant quam partem muneris publici sustineant, & in suo ordine manent, non conturbant proportionem. Hunc statum ita prædicat Plato, ut hanc geometriam diuinam esse dicat, ac tum demum beatas fieri ciuitates, cum

Deus